& remanent .IIII. & ecce nona die mensis .XIIII. luna erit id est .V. idus apr. Iunge
etiam concurrentes anni praesentis id est .I. ad .VIIII. & fiunt .X. his adde .VII. & fiunt
XVII. hos partire per .VII. bis septeni .XIIII. & remanent .III. tertia feria erit luna
XIIII. IIII. XV. V. XVI. VI. XVII. VII. XVIII. I. XVIIII. qui est dies paschae. V. id. XIIII. luna
IIII. id. XV. III. id. XVI. II. id. XVII. idus XVIII. XVIII kl. mai. XVIIII. Secundo anno
post hunc .VII. qui a plus .V. sunt & minus .XV. ad martium pertinet .XIIII. luna.
quam sic requires. sume regulares martii mensis .XXXII. deinde abies .VII. & remanent
XXVIIII. XXVIIII. die mensis martii id est .IIII. kl. apr. .XIIII. luna tibi occurrit. Ad in
ueniendam feriam sume eisdem .XXVIIII. & adde eis concurrentes anni illius id est .II.
fiunt .XXXI. In his quoque adice regulares .IIII. & erit omnis summa .XXXV. partire per .VII.
& tam quinquies .VII. fiunt .XXXV. & nihil remanent quia septima feria erit luna .XIIII.
IIII. kl. apr. & .XV. III. kl. apr. ipse est dies dominicus paschae. & iam sic per singulos circuli
decennouenalis annos semper his regularibus & hac ratione annuis epactarum detractis diebus
XIIII. sine errore repperies lunam. & illis regularibus cum concurrente numero praescripto
iunctis feriam quoque .XIIII. lunae sine scrupulo inuestigabis. & sic conputatis feriis quae
supersint septimanae illius lunae quoque aetatem crescentis singulis adpone diebus
& tum simul locum lunae & aetatem certissime inuenies.

H aec dilecte comes proprio argumenta labore
D escripsi tibi me tu die quo munere meatum
C ertares hodie dotalia dum tibi fessus

EPISTOLA BEDAE AD UICTHADUM PRAESBITERUM DE AEQUINOCTIO

Reuerentissimo ac sanctissimo fratri uicthaedae praesbitero beda optabilem in domino salutem.
Libenter accepi litteras tuae benignitatis amantissime in Christo frater. & capitula quae
rogasti propius describere ac tibi dirigere acceleraui. Memor familiaritatis ac dul
cedinis qua cum illo aduenissem me suscepisti. Sed & quaestionem illam merito famosam
de historia ecclesiastica super qua me interrogasti praesentem. cur tunc breuiter ut
potui respondi. nunc latius etiam explanare studui. Hoc est de aequinoctio uerno
quod in libro praefato anatholius antistes reuerentissimus in .XI. kl. apr. die adnotasse
perhibetur. Cum caeteri aegiptiorum magistri hoc magis in .XII. kalendarum earundem
die adnotandum esse decernant. Dicit namque sanctus proterius alexandrinae antistes ecclesiae
ad beatissimum papam leonem scribens de pascha. & manifeste quidem secundum cursum
solis .XXV. die mensis famminoth quie est .XII. kl. apr. aequinoctium esse cognoscitur. famenoth

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1449/0035